
333-225







Animalium origo inquiritur

Brutorum anima in examen vocata

Dissertatio Bimembris

Ab Artium Baccalaureo D. Ignatio

Maria Marmoreo Methaphysicae Auditore

coram Moderatore dignissimo

D.D. Joanne Marque Baquerizo

Civilis Juris Doctore Artium et Philosophiae

Magistro

et Catedratico

habita.

Die 10 Maij Anni Dñi 1793





Animalium origo inquisita

Brutorum anima in examen vocata.

Dissertatio Bimembris

Ab Artium Bacchalaureo D. Ignatio Maria Marmoreo Methaphysices Auditore

coram Moderatore dignissimo

D. D. Joanne Moreno Baquerizo


Civilis Juris Doctore, Artium et Philosophiæ Magistro,

et Condiscipulis

Habita.


Die 10 Maij Anni Domin. 1793





Harum sententiarum quę vera sit, Deus aliquis viderit, quę verisimillima, magna quęstio est.

M. T. Cicero Tusculanarum 1. capite 10.



D. O. M.


De Scientiis iis, aiebat olim Summus Angliæ Cancellarius Comes de Verulamio Baconus, quæ naturam contemplantur, Sanctus ille Philosophus pronuntiat, gloriam Dei esse celare rem; gloriam Regis autem rem invenire: non aliter, ac si Divina Natura innocenti et Benevolo puerorum ludo delectaretur, qui ideo se abscondunt ut inveniantur, atque animam humanam sibi collusorem in hoc ludo, pro sua in homines indulgentia et bonitate, cooptaverit. Cooptat utique; sed talis est nostra post peccatum fatali constitutione mentis caligo, sensuum confusio, hebetudo, ut raro inventionis gloria fruamur. Subtilitas siquidem Naturæ subtilitatem sensus et intellectus multis partibus superat; ut pulchræ illæ meditationes, et speculationes humanæ, et Causationes, res malesana sint. Ædificium enim hujus universi, structura sua, intellectui humano contemplanti instar labyrinthi est; ubi tot ambigua viarum, tam fallaces rerum et signorum similitudines, tam obliquæ et implexæ Naturarum spiræ et nodi, undequaque se ostendunt; iter autem, sub incerto sensus lumine, interdum affulgente, interdum se condente, per experientiæ et rerum particularium sylvas perpetuo faciendum est. Quin etiam duces itineris, qui se offerunt, et ipsi implicantur; atque errorum et errantium numerum augent. In rebus tam duris de judicio hominum ex vi propria, aut etiam de felicitate fortuita, desperandum est. Neque enim ingeniorum quantacumque excellentia, neque experiendi alea sæpius repetita, ista vincere queat. Huccusque melior Naturæ investigator Baco-

Bacon. præf. in nov. org.

Prov. cap. 25. vers. 2.

Bacon. part. 2. sum aphor. 10.

Idem præf.

nus. His autem naturę rebus alia aliis obscuritate, ambagibus, dif-
ficultate precellunt, aut ob rei ipsius proprietates abstrusas,
aut ob modum preposterum, quo inquisita sunt, cujus qui-
dem generis sunt eę, quę de animalium origine, quę de
Brutorum anima assolent, questiones, institui quarum
primę menti ingerunt stuporem, Augustino astante, qui-
August. lib. 22. de civ. Dei c. 24. bus vel summis viris hęret aqua ex fortunato Brixiensi
secundę inter misteria annumerandę sunt, ex Nostro Al-
f. Brix. dis. ult. tom. 4. tiero. Memini fratrem mi dilectissimum, Philosophicis rebus
aliquali modo versatum, nostris colloquiis dicere audivisse,
Altier. sect. 3. c. 2. art 3. nullas reperisse questiones, quas magis maximi philosophię
Scriptores timerent, quibus magis agendis sudassent, quibus
minor esset hucusque profectus, quam eę quibus Bruta-
rum anima, earumque proprietates sunt inquisitę. Quare
cum de iis alloqui mi Philosophicis pusioni sit demandata
provincia, nec jucundam videtis, nec placidam, nec amę-
nam posse Vos orationem spectare, nec inventionis gloria
a lętari, nec securas, firmas, quietas decisiones audire.
Nec possunt ab ambagibus, nodis, spinis, quibus hic natura
latet, non implicari. Utinam id non frequenter, quoad minimum,
accidat! Meo itaque muneri (ut Brixiensis fabatur) satis
Brix. ubi supra. me fecisse arbitrabor, si quę tum rationi, tum experientię
magis consonat accuratiores Philosophi hac de re tradidere,
breviter quidem, quoad fieri a me potest, palam effecerint, qui-
bus nonnulla pro modulo nostro adjungemus. Onus ergo nos-
trum bimembri oratione (prout impositum est) portare cu-
rabimus. Quęnam animalium origo sit vestigabitur. An ani-
mam bruta habeant, cujusque indolis sit ipsa videbitur.
Utrumque caput suis articulis distribuetur. Ad rem.

Caput 1.

De Animalium origine.

Cum voces, ut notiones clareant, sint explicandæ, status quæstionis aperiendus, Philosophi examinandi, refutandi, approbandi, variis, ordinis et claritatis ergo, articulis alloquemur.

Articulus 1.

De Animalis notione.

Animal voco corpus organicum facultatem habens vegetandi, fructificandi, sentiendi, et appetendi: Brevius: Corpus vita sensitiva vivens. Illud siquidem discrimen est corpus inter animatum (qua de caussa animal dicitur) et inanimum, quod istud pulsu agitatur externo (verba sunt Tullii) illud autem motu cietur interiore et suo, id est, vivit, cum vita in immanente (ut ajunt scholæ) actione consistat, qua nempe et motor, et terminus motus intranei sunt rei, qua motus istiusmodi efficiuntur. Cum autem et Plantis tales insint immanentes actiones, quin animatæ sint, hinc sensitiva vita quod vivit animal dicimus: cum hæc vegetativæ, qua corpora crescunt, vigent, pubescunt, procreant, moventur, perceptiones addat impressionum. Recte Aristoteles animatum ab inanimo sensu, et motu ait distingui. Cum vero istiusmodi cum sensitivæ, tum vegetativæ vitæ motiones in corpore inorganico effici nequeant, hinc organicum, aptum instrumentum,

Tull. qq. tusc. cap. 23.

Arist. 1. de anim. tex. 17.

congrua dispositione his actionibus pollens, corpus animalis requirimus.

Articulus 2.

De Animalium Variis generibus.

Incredibilis, quæ in hoc mirabili orbe est, animalium varietas Philosophos ea examinantes coegit, ut in varias illa classes distribuere conarentur, et a se ipsis partitionibus, numeris, distributionibus discreparent. Alii ex animalium moribus, alii ex locis, quæ incolunt, alii ex motu, ex ornatu alii, alii ex productionis modo eorum divisionem susceperunt. Qui plura aveat, quæ nostra non intersunt, Linnæum, Corsinum, alios adeat Physicos. Illud nobis scire opportet, animalia in perfecta, imperfecta, ovipara, viviparaque solere distribui. Quæ quidem partitio nostræ potius superbiæ, quam naturæ tribuenda est; siquidem nullum est in natura animans non perfectum, ait Italiæ decus sapientissimus Genuensis. Imperfecta dici ea assolent, quæ exiguo organorum apparatu prædita sunt, rudiusque, quoad videtur, constructa, quemadmodum Vermes, Muscæ, Cimices, Scarabæi: Perfecta ea sunt, quæ nobiliori structura, mirabiliori organorum numero, dispositioneque gaudent, prout Leo, Taurus, Canis, Felis, cætera. Ovipara ea sunt, quorum ortus ex foto, incubatoque ovo extra claustra conspicitur, clarius, quæ fœtum vivum non pariunt. Vivipara vero, quæ intra materna claustra motum, calorem, vitam, cætera habent, maturaque in lucem mittuntur. Illius generis ferè omnes Aves; hujus ferè

Linn. de Botan.

Corsin. tom. 4 trac. 2. cap 2.

Genuens. Phis. part. lib. 6.

omnia Quadrupedia, et vel ipse homo.

Articulus 3.

Status questionis aperitur.

Dum hujusmodi, quę definivimus, et partiti sumus, entium originem disquirere sumimus, non originem eorum in genere, sed in individuo, ut dicitur, in numero inquirimus. Scimus Patrem Mundi effectorem cunctipotentem orbem ex nihilo eduxisse, animalia aquę terręque et existentiam, et vitam, et motum, et cetera, quę habent, ut materię debere, Deo ut causę efficienti, Juxta illud Geneseos Dixit quoque Deus: producant aquę reptile animę viventis et volatile super terram sub firmamento Cęli. Creavitque Deus Cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquę;.... et omne volatile...... Producat terra animam viventem in genere suo, Jumenta, et reptilia, et bestias terrę.... Et fecit Deus bestias terrę juxta species suas et Jumenta, et omne reptile terrę in genere suo. Modus, quo id fuit, eget disquisitione non parva, quę nostri non sunt instituti. Augustinum, ac Cornelium adeat, qui plura velit. Scimus animalia propagari in dies, nullamque post primam Orbis, et omnium, quę in ipso sunt, esse creationem, cui illa debeant existentiam.; Quę nam ergo origo animalium propagatorum? Generatione efficiuntur. Ergo ex prasupposito subjecto et materia.; Quęnam autem hęc est? Hoc opus, hic labor. Illud illud, quod inquirimus.

Genes. cap. 1 u.u. 20. 21. 24. 25.

August. Cornel. super hunc locum.



Articulus 4.

Opiniones Philosophorum recensentur

Varia in temporibus tentamina effecerunt, varia rationum momenta pensarunt Philosophi, ex quo varii fuere super nostra sensus. Necesse est ergo (ut Aristoteles olim aiebat) ut opiniones omnium comprehendamus, quicumque de animalibus pronuntiarunt, ut ea, quę recte dicta sunt, sumamus, si quid vero inscite id vitemus.

Arist. de anim. l. cap. 1. text. 4. cap. 1.

Aristoteles, Galenus, et Scholastici omnes imperfecta animalia tenuerunt ex fortuito partium putrescentis materię congressu gigni; perfecta vero ovipara ex ovis à femina depositis, quibus involutus, parvusque fętus continetur, qui calore fotus in lucem, postquam evolutus, grandiorque effectus est, mittitur. Vivipara vero ex seminum utriusque parentis in utero effici commixtione. Quo pręterire illud non possum, Scholasticos aut Stagirites Magistri doctrinam non calluisse, aut obscurasse eam et imposuisse, cum ille expresse dicat quę vero intra se pariunt animal, iis quodammodo post primum conceptum oviforme quiddam efficitur. Humor enim in membrana tenui continetur, perinde quasi ovi testam detraxeris. Ovum id ex fętibus perfectis vocamus, cujus ex parte principio animal consistit: reliquum vero alimentum ei, quod gignitur, est. Ubi videtur omnia illum tenuisse animalia perfecta ex ovis cum vivipara tum ovipara effici.

Arist. de hist. an. lib. 1. cap. 5. et de generat. anim. lib. 3. cap. 9.

Hartsoekerius Lewenhoekiusque judicant quędam esse animalcula exiguissima in animalium cremento, quę in

fœmineis claustris recipiuntur, foventur, aluntur, quę aucta animalia, quę videmus, efficiuntur. Vel idem ferè Buffonius tenuit, qui animalculorum loco organicas partes posuit, quibus omnia accidant, quę animalculis Lewenhoekianis......

Hippocrates ex omni corpore partes in seminibus ait contineri, ad ipsa ex cerebro, corde, capite, manibus, intestinis, cęteris, ventre in viviparis (ovipara enim ex ovo gigni tenet), quę in materno claustro paullatim crescunt, et partes cerebri cerebrum, cordis cor, manuum manus, cęterarum partium partes membra cętera efficere, ac inde animal perfectum formari. Hęc ipse Hippocrates de genitura et de natura pueri scribens. Dutensius autem eum sensisse tenet, ex ovis cuncta animalia gigni, varia illius loca referens, illud pręcipuè de natura pueri dum ait, <u>inveniet naturam omnem consimilem esse, et ex terra nascentium et hominum.... et inveniet omnia se habere, juxta meum sermonem, quomodo volucris naturam ad humanam conferre opportet.</u> Quisnam fuerit Hippocratis sensus, quęnam sententia, alii videant, et vos ex dictis ferte, temporis enim mihi angustiis constricto per singula vagare non sinitur.

Hipp. de genit. n. 9. et de nat. puer. num. 8.


Dutens. Reflex. part 3. cap. 6.

Hipp. de nat. pu. 35. 36.

Needhamus naturam ex microscopicis observationibus intulit eamdem esse semper, activam quidem, quę vi sua efficit ut omnia tendant ad resolutionem in sua principia, ex quo vis resistens, quo magis simplicia redduntur entia, minuitur, post vero iterum per gradus ad compositionem transire vi expansiva, activissima, oscillatoria (ut ipse loquitur) quam habent. Hinc animalia ad

Needh. observ. mic. p. 271. 241. 335.

Idem apud. Dut. Reflex. p. .. cap. 3.



resolutionem tendunt, iterum vero ad compositionem viribus resistentibus et expansivis, prout cogitat, temperatis. Sunt ergo animalia semper eadem, quę circulo quodam et sunt, et non sunt, vel novam induunt formam. Hęc illi eorum origo. Quo non monere non possum, quod cum Needhamus variis querelis gravis fuisset ob suam a pluribus explicationem non intellectam (ut loquens Dutensio dixit) eam optime calluisse et explicasse Altierium, quo instructi sumus.

Idem. ibidem.

Altier. sect. 3. cap. 2. art. 2.

Demum Harvęo, Stenone, Graafio, Redio, Vallisnerio, aliisque cogitantibus cum perfecta, tum imperfecta, sive ovipara, sive vivipara animalia ex ovis fiunt in fęmineo sinu contentis a masculino semine fecundatis, quibus animal involutum omnibus suis partibus constans invenitur, prout in plantarum semine plantę, quod fęcundatione, caloreque evolvitur, crescit, et in lucem mittitur. Quę omnia in viviparis intra claustra, in oviparis extra illa contingunt. Ergo hacce sententia nulla agnoscitur vera et propria generatio, sed phęnomenon evolutionis, et incrementi, ut clarus Genuensis observat. Illud variis observationibus, variis ex anatome et Physica rationibus et tentaminibus deductis confirmant. Nunc, qui historiam teximus, Physici videamur.

Genuens. Phis. part. lib. 5. cap. 8.

Articulus 5.

Nullum omnino animal ex putrescente materia gigni ostenditur.

Nullam absurdiorem in tota Peripateticorum doctrina, portentoque simillimam opinionem videri posse, quam ea, quę ex putrida materia animalia generari tuetur, Eduardus olim asserebat Corsinus. Et recté. Nullam plané. Quis enim

Cors. Phis. part. tr. 2. disp. 3. cap. 8.

risu non acciperet, qui Domum, navim, Horologium ex partium fortuito concursu effici diceret? Ast tam perfectior est animalis vel vilis, vel abjectissimi fabrica, ut ea, quę ab humana arte efficiuntur, non solum superet, sed nec ab ipsa mirata intelligi queat. In his (aiebat olim eleganter Plinius) tam parvis, atque tam nullis, quę ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio? Ubi tot sensus collocavit in culice? Et sunt alia diu minora. Sed ubi visum in eo prętendit? Ubi gustatum applicavit? Ubi odoratum inseruit natura? Ubi vero truculentam illam, et proportione maximam vocem ingeneravit? Qua subtilitate pennas adnexuit, pręlongavit pedum crura, disposuit jejunam caveam uti alvum avidam sanguinis, et potissimum humani, sitim accendit? Telum vero perfodiendo tergori quo spiculavit ingenio? atque ut in capaci cum cerni non posit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset. Quos teredini ad perforanda robora cum sono teste dentes affixit, potissimumque e ligno cibatum fecit? Sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, tantorumque colla, et truces in sublime jactus, Tigrium rapinas, Leonum Jubas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota sit. Quare vel quodlibet aliud animal perfectum ex concursu fortuito non efficitur? Certe eadem est in his, ac imperfectis perfectio, ita ut Augustinus dixerit, inest omnibus quoddam naturę sui generis decus, sic ut in his major sit admiratio bene considerantis, et laus uberior Omnipotentis. Eousque hoc Feijous illustrissimus argumentum evexit, ut majorem virtutem in

Plin. lib. 11. hist. nat. cap. 2.

August. lib. 3. sup. gen. cap. 14. n. 22.

Feij. tom. 7. disc. 1 § 6.

his minimis animalculis, quam in perfectis efficiundis, cognosceret. Si enim eo melior est artifex, quo minutiores ei partes materie obediunt, si mirandus est super eum, qui Rhodes colosum, qui Dedaleam columbam arquitectavit, potentior requiritur artifex ad tenuia membra, vasculos, musculos, spiritus animalium tenuiorum efficiendum. Parum abest Peripateticus, ne Epicureus vel hominem ex ceco concursu partium credat conceptum.

Sileat ergo is Philosophus, qui hec tueatur, et credat se sine caussa effectum admittere, quo nil potest esse turpius Physico. ¿Caussa erit partium cecus et fortunatus concursus? Hoc certe qui existimat, non intelligo (Tullii verba ut mutuer) cur non idem putet, si non innumerabiles unius et viginti forme litterarum vel auree, vel quas libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio, an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. ¿Erit Solis calor, cujus aliquem et vel non ad generationem influxum requirimus? Ille esse solum potest (ait Gassendus) preparans caussa, superestque semper specialis requirenda, proximeque agens, a qua celum, Solque determinetur. Sicut enim in perfectorum animalium generatione requiritur specialis caussa, que ovum fecundet, pullum formet, cujus fomento et vite calor est necesarius, ita et de imperfectis dicendum est, quibus inest ex dictis equalis perfectio. Ut enim de plantis Gassendus ipse ait, Sol suo potest calore mixturam ex terra et aqua calefacere, fermentare, commiscere, discutere, humorem educere, reciccare, indurare, et similia; at ex ea formare nervos, venas,

Tull. lib. 2. de nat. Deor. c. 33.

Gass. Phis. memb. 2. lib. 4. c. 1

Idem. memb. 1. lib. 4. cap. 4.

(vasto stupendam viventis machinam) nullo prorsus modo intelligi poterit. Erit Deus, Angelus erit caussa? Turpe est (ut Cicero scripserat) dum de effectus naturalis caussa loquitur, ad Deum confugere, vel supernaturalem potentiam. Generalis, sapiens, potens, unica, primaria caussa Deus est. Ast vite secundas operari sinit, cui natura sua, quęcunque eam ornare aspicimus, debet. Cicer. lib. 3. de nat. Deor. cap. 10.

Insuper, quare universa in orbe animalia ejusdem generis eadem sunt? quare eadem nunc, quę seculis transactis pręteritis? Tanamne potest servare constantiam cęca, volubilis, incontans fortuna? Hanc turpem opinionem rideamus.

Articulus 6.

Animalia non generari ex seminum in utero mixtione monstratur.

Iners, quieta materia nullum ex se motum nec vel alterationis habere potest: vel aliis ipsi contrariis permisceatur, vel iis qualitatibus armis, quę ipsam valeant provocare ad motum, quemadmodum acidis et alkalinis partibus accidit: si calor eam moveat, inordinatus, confusus motus erit, quo informis adhuc massa exorsit. Hoc de seminum in claustro femineo commixtione esti dicendum. Nunquam, non dicam formicam, cimicem, muscam, ed nec vel tenuem eorum corporum partem, nec aliquam sigaram particulam unquam efficiet hęc mixtio. Hec scholastico no sunt, ac inde virtutem mixtis partibus, quam plasticam voc. vel arquitectonicam, inesse contendit, qua totum animal compaginar. Ast cum inerso virtuti huic debeat

absolutissima scientia, et exquisitissima industria, et opus tale, ac tantum, quale est corpus animalis cujusque, etiam vilissimi, compingere ex informi humore ipsa possit, quae ipsi competere nunquam potest, eam chimaeream esse contendimus. Qualitatum haec occultarum, quibus delectatur, mysteria.

Vall. P. I. della gen. dell' uom. c. 15. n. 9.

¿Quenam res est plastica virtus? (aiebat Vallisnerius clarissimus) ¿quid plasticae eam numeris, armonia, dispositionibus continet? ¿Quid est plasticae diffundere animalibus vitam? ¿Ex quibus effectibus vis haec deducitur? ¿Quomodo naturae necessariam esse monstratur? Dummodo absque vanis, vagisque nominibus explicetur, possibilisque et necessaria monstretur, nec ejus, nec generationis natura ostenditur. Si hoc non fiat deserenda est, ut ignorantiae refugium atque compendium. Idem est plastica vi generari animalia dicere, ac generari dicere quia parentes habent facultatem generativam. Res est per rem exponere. Cuncta, quae sunt in natura, hoc valent modo explicari. ¿Quare ignis calefacit? Quia vim habet calefactivam. ¿Quare magnes attrahit? Quia vim possidet attractivam. Id est: trahit quia potest attrahere. Arabum haec et scholae ineptiae. Risi sunt passim a doctis viris. Nos vel nos rideamus.

Articulus 7

Animalium generationem non explicari sistemate vermium seminalium palam fit.

Verheyenio plurimi vermiculorum in caemento animalium existentiam negarunt; ast non hac via infirmandum est Leeuwenhoekianum sistema. Sufficienter observati, probatique sunt

innumeris tentaminibus in Buffoni historia videndis. Ex eo autem, quod aceto, herbarum, florum, fructuum succis, aliis substantiis, præsertim vividis, vivi sint, vel in plurimis animalium corporum partibus, ut ipse observavit Lewenhoekius, inferimus ejusdem esse generis, qui in seminibus, ac qui in aliis liquidis reperiuntur, eumdem utrorumque esse effectum. ¿Quisnam ille? ¿Generatio? Minime: cum nullum animal ex primis ortum habuerit. Sed vivida fluida efficere, ne (ut Vallisnerius ait) sint quieta, coagulata, non fluida, non decurrens. Verbo: mobilitatem, quæ in fluidis, præsertim iis, quæ animalium corpus humectant, vivificantque, esse debet, illis tribuere.

Buff. hist. nat. tom. 4. in 12.


Lew. apud. Feij. tom. 7. d. 1. § 4.

Vallis. P. 1. della gen. dell' uom. cap. 9. num. 1.

Addite quod vermes isti in vel parva crementi portione ex Lewenhoekio infiniti sint. Quinquaginta millia eorum portione, quæ adhærebat acus cuspidi, erant, Vallisnerio ex eo referente. Tirannis autem quædam est naturæ tantam animalium copiam, quæ congressu in utero intrat, uni animali condendo perire. Indignum Deo et naturæ, qui semper student compendium, tanta animalia, tanta organica corpora, unico animali, organicoque corpori efficiundis deperdi, iisque uti, quæ, aliusmodi re effecta, ad maturitatem pervenire possent. ¿Unico animali formando uterum ut quid tantis cadaveribus adimplere?

Vallis. eod. lib. cap. 10. num. 22.

Demum hac sententia stante interrogare quis posset. ¿Quænam vermium seminalium origo? Altum est de ipso silentium. Rem ergo inexplicatam sinit. Apage ergo.



Articulus 8.

Animalia non gigni ex eo quod cerebri partes, cordis, manuum, ceterarum partium, cerebrum, Cor, manus, ceteras partes, se attrahendo, conforment, etsi vel sint organice, statuitur.

Numquam intelligi posse contendimus, quomodo partes a toto corpore secretę, simul permixtę sanguine, in renes, ac inde in uterum per defferentia vasa translatę, ad sese homogeneę accedant, arctè urgantur, cum vis nulla, qua id effici possit, monstretur. ¿ Erit plastica Scholasticorum? Rejecta est. ¿ Erit inęqualitas aut momenti, aut resistentię, qua, cum pars quęlibet propriam resistentiam maximamque habeat, solùm cum homogeneis temperari valet, adhęrere, iis amicè conjungi? Minimè. Ut enim rectè ait Galenus, si ita esset, omnibus osseis partibus in unum confluentibus, unum tantum os magnum, una item cartilago, una arteria, unus nervus, et unumquodque demum aliud unum in fętu reperiretur. Igitur aliud tertium statuere opus est, quod in utroque semine parentum dispersas particulas in ordine disponat.

Galen. lib. 2. de semin. c. 3.

Insuper ex manco patre vel claudo claudi, manci filii nascerentur, ex patre digitis, oculis, pedibus orbato, pedibus, oculis, digitis orbati filii (ut observat Aristoteles) procrearentur, contra ac docet experientia. Orirentur filii abs unguibus, dentibus, et capillis, cum hę partes corporis nullam cum sanguine habeant communicationem, ac inde nullas ex iis in eam particulas mitere queant.

Arist. lib. 1. de gen. anim. cap. 18.

Nec nobis hic de Hippocrate solo refutando est sermo. Buffonum his rationibus (et iis, quæ in articulo anteriori congessimus) versus insurgimus, qui organicas partes admissit, quæ ex toto corpore eadem, ac volebat Hippocrates, œconomia in crementum descenderent. Eodem cum versus argumento, quod nos ex Galeno desumpsimus, Feodorum quemdam Almeidam Lusitanum insurrexisse comperimus.

Articulus 9.

Animalia non effici ex eo, quod circulo quodam viribus resistentibus et expansivis auctis aut minutis eorum materia mutetur, stabilitur.

Novam Needhami opinionem nunquam ab ullo phisices scriptore rejectam vidi, nec scio id nisi Spalanzanum fecisse, quem manus non attigere, nec id ex alio novi nisi ex Altierio, qui ipsius rationes non affert. Nescio an ex eo sit, quod non mi multum hipotesis hæc displiceat. Tamen non illam invenio ut quiete admitti a viro valeat Phisico. Scio activam esse materiam, quamcumque ea formam induat, quod clarus Genovesius ostendit ex eo quod in chaos aliter natura converteretur, quod et veterim et recentium, Empedoclis præcipue et Buffoni, suffragiis firmatum est. Scio entia continuo circulo agitari, formas mutare, ac tendere in simplicitatem, iterumque in compositionem. Id ex aquæ mutationum observationibus Regia Parisiensi Academia colligente, id ex variis animalium generibus, insectis præcipue, Swammerdamio, Reaumurio, Lesseno scribentibus, intuli.

Altier. ubi supra.

Genuens. part. 1 meth. cap. 6. et c. 12. p. 158.

emped. vide. orig. Philos. c. 3.

Buff. tom. 4. hist. nat. var. loc.

Hist. Acad. Par. an. 1722.

Swam. vide. Almeid. tard. 23. § 4.

Scio idem ex variis plantarum, insectorum, liquidorumque ab
Need. obs. michros
ipso Needhamo effectis microscopicis observationibus. His tamen numquam ipse firmum videbit sistema. Vis materię, naturę insit: ast numquam, nisi rei existentis alterationem, rem de novo compaginare non poterit. Vires, tum expansivas, tum resistentes, tum ceteras materię tribuere, ex quo sic illa vel aliusmodi operetur, ex quo salva substantia accidentia mutata sint, potest; vires tribuere ut materia segregata, dispersa, in fere nihilum reducta, iterum juncta sit, ita ut corpus organicum, mirabilibus dispositionibus prę-ditum, faciat, non potest. Organis factis, vires modificatas ipsis ostendere potest; organa viribus ipsis facere non potest. Id in allatis ab ipso et a me metamorphosibus est videndum. Animal non perit, non destruitur: ipsum manet viribus, mobilitate sensibili destitutum; post tempus vero in forma nova, quę, si rite spectetur, accidentalis est, et antiqua nosci valet, apparet. Idem de aqua dicendum est. Insuper animalia in minora et minora resolvi demus. ¿ Quęnam vero erit majorum resolutorum origo?

Spall. vide altie. ubi supra fol. 387.

Demum Spallanzano observante in novemdecim clausis hermetice vasis animalia inclusa fuere, quin propagatio esset visa, quę ex Needhami sententia sequi debebat. Quę omnia ipsius rationes et sistema enervant.

Articulus 10.

Animalia ex ovis non generari statuitur.

Non nobis sermo hic est de avibus, piscibusque, oviparis animalibus, quę constat plane omnibus cujuscumque sen-

tentiæ sint quoad vivipara (qua de caussa huic rei firmæ firmandæ nullum articulum destinavimus) ex ovis nasci, eodem plane modo ac plantæ nascuntur. Iis primordia pulli sunt involuta et arcta, qui virili aura fœcundati evolvuntur, crescunt, vivunt. De viviparis loquimur. Horret certe animus in via ingrediCum maximis viris colluctandum est. Antiquissimam possesionem disputare sumimus. Recentiorum lucidis observationibus et laboribus cultam, antiquorum præcipuorum omni seculo veneratorum Hippocratis, Aristotelis, terram. Sed durandum est. Amici ii omnes; sed veritas est amicior. Naturam novimus uniformitatem operibus asservare, ac inde videri nobis posse eumdem esse oviparorum ac viviparorum generationis modum. Animalia novimus parvos ovulos deposuisse, ex quibus postea animalia exorta fuerint; Phisicos celeberrimos affirmasse. Ovaria vel in perfectissimis novimus animalibus, Muliere, cane, cæteris reperiri cum Bartholino plurimos tenuisse. In ovariis, non in utero, novimus, fœtos aliquando fuisse repertos, plurimos contestari. Ast specie sistematis capti erant, præjudicium, desiderium veritatem in illa inveniendi, exilitas rerum observatarum, sensuum hebetudo, instrumentorum defectus (ut Feijous eruditus ratiocinatur) efficere potuerunt, ut non quod erat, sed quod volebant Phisici, aut quod ex sistemate debebat esse, viderent. Nec standum est rationibus ex allatis aliquibus, in re tam mirabili et extraordinaria naturæ ab uno solum homine observante relatis. Nec analogiæ standum est, qua infertur, ex eo, quod ovipara ex ovis nascantur, etiam vivipara

Fei). tom. 3. epist. 33.

nasci debere, ipsa siquidem in pluribus naturę operationibus nos refellit. Quis ex analogia non crederet plantarum semina seminibus ipsarum esse magis ęqualia, quam seminibus aliarum? Non ita in aliquibus ex Feijoo se res habet. Quis non crederet ex analogia majores plantas majora semina, minora minores habere? Quis majora animalia ex majori incrementi copia effici? Aliter in aliquibus est. Nec uniformitatem operationum naturę conclament. Dicam siquidem eam, dum nil obstet ut eodem modo operetur, servare. Quis autem sciat an obstet aliquid, ut eodem modo in oviparis ac viviparis procreandis natura operetur?

Feij. ubi supra.

Etsi speciosa quęlibet rationum momenta viderem, etsi vera, non crederem huic opinioni, cum vera et contra eam sint. Vera siquidem veris non opponuntur. Ad summum ignorantiam confiterer. Vera contra eam sunt. Videte.

Omne, quod ex ovo formatur, ex sui generis ovo formatur, nullus siquidem vidit Aquilam ex gallinaceo, Struchionem ex columbę ovo oriri. Id ob illud quia ova, quę animali cuilibet Omnipotens dedit, sui generis solum pullos involutos continebant. Hoc vel ipse Harveus fatetur. Si ergo vel unus ortus visus est ex ovo v.g. caprino humanus, sicut aliis alii diversis, plane deserenda est Harvei opinio. Ast visus est unus, visi sunt plurimi. Ex Capra fętus humanus natus est villa vulgo Fernan caballero, cujus rei autentica testimonia fidem cujuslibet extorquentia apud Feijoum, criticum illum sapientissimum sunt videnda. Visę quotidie sunt hybridę, tertię species animalia, quę ex congressu differentium specie animalium oriuntur. Ex equo et asina mulus, ex asino et equa mulus oritur. Quomodo hęc cum Ovaristarum sistemate

Feij. ubi supra.

componenda? Insuper Boerhavius medicorum Recentium facile princeps se in spermatibus humanis et Brutis masculis rudimenta fetuum vidisse testatur, et celeberrimorum affert anatomicorum observationes, quę omnia sistema, quod rejicimus, quassant. Hęc et similia Feijoum moverunt sapientissimum, ut illud cum antea pro aris et focis sustinuisset, desereret. Cum adeat, qui hęc clarius et difusius velit, nobis interim ob temporis angustias ad alia properantibus. Boerh. de ęcon. anim. num. 651. Feij. ubi supra

Articulus II.

Originem animalium ignorari fatetur.

His omnibus dificultatibus subvenire videbatur ova in fęminis, vermiculos, vel organicas partes, vel si quę alia fetuum rudimenta, in masculis admitendo, quę in ovis reciperentur, foverentur, alerentur, crescerent. Hoc Boerhavii observationibus non repugnat. Hoc ex confrontatione Hipocratis, Aristotelis, cęterorum antiquorum Dutensius infert. Ast id non sufficienter probatum est, iisdemque sensuum hebetudinibus, instrumentorum ruditatibus subjectum esse Feijous testatur. Quęnam ergo animalium origo? A nobis illum nullo omisso labore examinantibus aliqui conquereris. Illud scio, laborasse a sęculorum sapientiorum initio phisicos, conquisivisse, speciosa plurima cogitasse, me omnia examinasse, nil invenisse, quod vobis respondere possim nisi nescio, nescio. Optime proinde Machabęorum mater nescio (filiis ajebat) qualiter in utero meo apparuistis, neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, Dutens. ubi supra Feij. ubi supra Mach. 2. cap. 7. v. 22.

quique omnium invenit originem. Fortassis tempus erit, quo et hęc et similia Deus, qui Universum tradidit nostrum disputationi, extra illius aleam originem animalium apponat. ¡Oh utinam! Auditores.

Caput 2.

De Brutorum anima

Bené habet. De Animalibus quoad corpus disputationem finivimus. De iis autem quoad animam, ut integra de ipsis tractatio sit, aliqua, quę tempus, post impensum in actis, tractare sinat, articulis sequentibus audietis.

Articulus 1.

Animę, Brutorumque notio cum quęstionis statu traditur.

Organicum animalis corpus, quo vitales actiones exercentur, se ad illas habet ut instrumentum. Admitendum igitur in ipsis est aliquid a corpore organico diversum, quod principium activum operationum sit, atque organo motibus peragendis utatur. Hoc ergo principium, quodcumque sit, animam voco, ex Aristotele, et Maignano eum explicante, quodque pręcipuum est ex ratione voces assumens. Ubicumque ergo vita sit, ibi et anima, activum principium est. Vivunt plantę: ergo habent animam, de qua disputet alius.

Arist. lib. 2. de an. tex. 6. à Maign. Philos. nat. cap. 21. n. 14

Vivunt homines: ergo habent animam, quę, cum rationali vitę inserviat, alius debet esse generis ac sunt animę animalium, quę sensitiva tantum vita vivunt, de qua nobis sermo non est. Brutorum igitur animalium omnium, sensitiva tantum vita viventium, anima noster erit scopus. Cum ergo constet illa esse animata, cujus indolis hęc anima est? Dum hoc inquirimus illud Lactantii me audire videtur, quid anima sit, nondum inter Philosophos convenit, nec umquam fortasse conveniet. Varii infelici, aut felici aliquantulum omine, ita tamen ut de iis securi esse non valeamus, illius proprietates investigarunt. Audite.

Lact. lib. de opifi. Dei. cap. VI

Articulus 2.

Philosophorum placita recitantur.

Tres ad classes referri possunt quęcumque Philosophorum opiniones hac super re circumferuntur. Sunt qui ęquales animę humanę, vel paululum ab ea discrepantes, animas Brutis concedunt, ac inde rationem, ut Epicurus, Pithagoras, Plato, Brachmanes Indię sapientes, et Galenus. Sunt, qui cognitionem aliquam ratione destitutam iis tribuunt, Aristoteles, Peripatetica schola, Recentes plurimi cum Magalotto. Sunt demum, qui cognitionem omnem iis adimunt, ut Diogenes, Gomezius, Cartesiani. Omnes plurimos veteres et recentes sectatores habuerunt, nos autem Coriphęos referimus.

Epicurei ex atomis subtilibus, corporeis qualitatibus prę-ditis, humanas et belluinas animas compositas tenent, quę eadem fere est Galeni sententia, qui, atomorum loco, humorum partes subtiliores substituit. Utrique materiam non obstare

credunt, ut rationem rudem et imperfectam circa sensibilia habeant bruta.

Pithagorei, transmigationem credentes, animas, uno vel humano corpore desito, ad aliud humanum vel pecorinum transire, ex hoc in aliud, sicque continuo. Hoc cum dogmate admixta sunt hęc alia, ut colligit Genoverius aurea sua de Brutorum anima disertatione. 1 Creatam a Deo immensam animarum, et Dęmonum copiam, ejusdem fermé naturę. 2 In sphęris supra mundanis locatas, locis delitiis diffluentibus. 3 His voluptatibus mentes corruptas, pluribus se sceleribus immiscuisse. 4 Ob id demissas in corpora, tanquam in carceres, ut ita pęnas scelerum darent. 5 Selecta autem corpora minus aut magis deformia, pro cujusque criminis qualitate. 6 Itaque alias devolutas in homines, quippe, quę minus, alias in Bruta, quod magis peccassent. Qui virum aveat, hanc distributionem in Platone legat. Sunt qui ita hanc sententiam intelligant, ut Dei substantiam tota in orbe diffusam viventia animare doceret.

Genuens. tom. 3. meth. disert. ulti.

Plat. in Phęd.

Peripatetica schola, formarum substantialium doctrinę sectatrix, nec materiam, nec spiritum animam bellug credit, sed medium quoddam inter utrumque, quod animam materialem vocant, cui cognitionem tribuunt. Alii vero substantiam incorpoream plané, cognoscentem, minime ratiocinantem, animam belluinam esse deffendunt.

Carteriana autem schola automata esse, meram machinam ita a supremo opiffice factam, ut, mirabili dispositione mediante, externis impressionibus motus, quos videmus in brutis, respondeant, eodem modo ac in pulsata cithara mechanismi vi pro pulsus varietate varii soni et motus respondent. Ita nec veré sentiunt, nec cognoscunt hac sententia bruta.




Articulus 3.

Pithagoras et ejus Gregales rejecti.

Nec ex iis unus sum ego, qui absurdis patentissimis confutandis tempus impendam, nec si essem, cum defficiat illud ad majora; iis detinerer. Transmigratio Pithagorica, Deus mundi anima reputatus, Demones corpora informantes, res sacris litteris, catholicę Religioni, Philosophię purę pugnantes, ipsę ex sese risum exitant, et ut dererantur sunt caussę. Paucissimi, hęc ridicula defendentes, non plurimum negotii facessunt. Quemlibet Philosophię scriptorem de origine animę, vel de Brutorum animam scribentem consulat, qui majora velit. Fontes autem ex quibus argumenta sumuntur pręcipua (ne nos aliquis levitatis accuset) sunt, quod Panteismum, Materialismum inducant, quod impium: quod animas ab extrinseco corporibus advenire innuunt sententię illę, corporibus creari negant, quod scripturis adversum: quod communionem Juris nos inter et bruta statuant, quod ridiculum: quod rationalibus animabus, sublimibus regendis perfectis corporibus destinatis, vel nulli corpori informando creatis, rationem adimant, bruta faciant: illis siquidem non assentior, qui rationem iis spiritibus Pithagoram tribuisse putant, quibus historiam superiori articulo collegimus. Organorum enim ruditas in Brutis hebetantur (ita loquamur) spiritus, quod, ut discursum Brutis non concederet, Pithagoram ex Plutarco commovit. Quod....... Fastidit hoc animus.

Plut. de plac. Philos. Plut.



Articulus 4.

Bruta revera cognoscere demonstratur.

Plura sunt momenta, quibus bruta cognoscere ostenditur, quibus omnibus referendis dies nobis defficeret. Ex iis ea solum sumamus, quibus nullam, non dicam probabilem prout plurimis, sed quibus nullam solidam plane adversarii responsionem dederunt. Qui alia aveat, Fortunatum inter alios adeat, qui plura collegit.

Cognitio ergo nil est aliud quam intima rerum intuitio atque representatio. Num autem hęc Brutis insit dum quęritur, nil aliud nisi ipsas eorum actiones attendere debemus, Genuens. ubi supra. asebat olim Genuensis, quin aliud efficiendum sinatur.

Bruta actiones nostris similes ex cognitione provenientibus facere, nec Cartesius ipse negare potest. Ille motus machinales esse ait, quin intime aliquid accidat; nos vero secus. Si ergo actiones illas probamus ex machinę motu et impressionibus effici non posse, remanet intimitus rem representari, ex quo motus illi sequuntur. Ita autem res se habet.

Certum est materiam quomodocumque dispositam materię legibus esse subjectam, quarum hęcce pręcipua. Corpus in motu positum perseverare eadem velocitate, atque in eadem directione, nisi ab externa aliqua causa aut cohibeatur, aut in alias partes determinetur. Si ergo nulla causa est, quę Bruta movere, dum quieta sunt, valeat, vel, dum mota, morare, ex re cognita ab alio, a machina distincto, Morus. P. 1 epist. 66. ad cart. interno principio id venit. Canis famelicus cum furtim quid abstulit (asebat ad Cartesium Morus) ; Cur quasi facti

conscius clam se surripit, et meticulose averso pronoque rostro suam ad distans pergit viam, suspiciose cautus, ne ob patratum scelus pœnas luat? ¿Quomodo ista fieri possunt sine cognitione facti interna? ¿Quis ad fugam determinat? ¿Quæ impressio in materia, ut actus similes nostris edat? Fugit ne illum aliquis deturbet aut puniat. Hæc autem res absentes sunt. ¿Quomodo illum, quin illa cognoscat, quin illis repræsententur, hæc commovent?

Sunt Bruta, quæ si olfecerint, audierint aliquid, mota quiescunt, quieta moventur. Si non cognoscunt quid sonus ille, quid odor sit, et possit ex eo expectare ¿Cur moventur et quiescunt? Effluvia prædicabis. ¿Quis autem dixerit sibilum, vocem, effluvia scrobis, rupis, tam valere, ut Brutorum illa phænomena producere possint? ¿Cur cum vertunt motum sæpe velocius fugiunt, quam ante hujusmodi occursus ibant? Nam est lex mechanica, celeritates post conflictum in corporibus non elasticis esse, ut est massa incurrens ad aggregatum ex utraque massa. Quæ ratio evidentiam habet geometricam, ait Genovesius. Genuens. ubi sup.

Dicere autem Deum immediate hos motus efficere, et turpe Physico est, qui ad supernaturalem caussam confugit, naturales, quibus id esse posset, quin videat, temerarium, cum credat nullas esse naturales caussas ea producentes, quia ipsi non innotuerunt, et falsum, cum plures actiones sint, de quibus id dici nequeat. Ferantur velocissimo motu ingente turma palumbes: paganus homo baculo armatus colli accidens adspiciat directe adversus se venientes: palumbes statim motus commutant directionem, seu potius Deus, ut Cartesianis placet, novam motus directionem in columborum machinis producit. ¿Quid ita quæro? Deus enim si omnes hos motus producit,

eos non alia ratione producere decet, quam ut omnia serventur neque intereant, dissolvaturque ordo. Nunc nova in columbis motio necessaria non est, cum paganus iis altissimè volitantibus nocere non potest. Id Deus probè intelligit. Nulla ergo ratio illum movere potest, qua id velle efficere percipiamus. Sciantque Cartesiani, qui hęc afferunt, Renati sistemati adversari, illos paululum ab Spinozistis differre, seque ab Eusebio esse reprehensos, quia nulla ratione permittente, quando fas non est id efficere, supremam rerum caussam requirant, ut innuit Genuensis

Eus. lib. 1. hist. ecc. cap. 2.

Genuens. ubi supra.

Miror Cartesianos ad sacras Scripturas confugere, cum sciant et nos plura testimonia afferre posse, quibus Brutis cognitio tribuitur. Cognovit bos possessorem suum et asinus presepe Domini sui, ait Esaias. Patres Eclesię his favent, aliqui, aliqui Cartesianis. ¿Quare ad litteram relata verba accipienda non sunt, sua vero utique? De his satis.

Esai. cap. 1. v. 3.

Articulus 5.

Bruta rationem habere ostenditur.

Si ex actionibus in Brutis visis hęc quęstio (ut antea dicebamus) terminanda est, felici omine res acta erit. Sunt siquidem in iis plurimę, quę cognitionis sensationisque terminum pręgrediuntur.

Formica in horrea triticum congregat, ut in pluvioso tempore ei non deficiat, fameque consumpta moriatur: fugit canis ut ictus minatos devitet. Hic illos advertentiam habere, quę regat in fuga vel in prosecutione, est perspicuum: aliter enim vel quiescerent, vel mechanismo agerentur, ut voluit Car-

tesius. Nec mechanismo regle, nec sensatione tantum est clarum. Machina siquidem, ubi nullum agens pulsat, quiescit, sensatio circa presentia versatur. Ast objectum his actibus, de quibus famur, est absens: terminum enim habent bonum nondum fruitum, vel malum nondum expertum.

In cane ictus fugiente et est representatio ictus, quę sensatio est, et est memoria pręteriti, quę cum terminum habeat rem pręteritam, sensatio non est, et metus futuri ictus, qui fugam determinat, ubi est raticcinium, siquidem nulla representatio est nisi ictus pręteriti. Canis ergo ex pręterito infert futurum, alioquin fuga non esset, cum res non esset, quę eam determinaret.

Idem dicendum est de cane in trivio posito, qui postquam olet duo itinera, tertium statim sumit feram sequendo. Actus, quo cognovit feram non ibisse per primas duas semitas, vel distinctus est vel indistinctus ab eo, quo cognovit per tertiam ibisse. Si distinctus; ergo discursus vel illatio. Siquidem dependens et subsequens primi est, est ex uno ad aliud progressus, primo actui subordinatus. Verbo, notę sunt consequentię et illationis omnes. Si indistinctus, ergo eodem actu canis percipit feram non ibisse per primas duas semitas, utique per tertiam. Hoc falsum ex eo est, quod perfectius esset tunc Brutum homine, perfectius siquidem est simplici intuitione principia et consequentiam intelligere, quam duobus actis indigere ad utriusque cognitionem, quod in homine accidit. Hac de caussa Thomas Angelicus Angelis discursum denegat. Hęc omnia ex Feijoo desumpta.

Thom. 1. p. q. 58. a. 3.

Feij. tom. 3. teat. disc. 9.

Quod si sacra aliqua nos versus congerant testimonia, et nos congeremus contendentes, ęquam et nos et contrarios, ad litte-

ram illa intelligendo, rationem habere. Jobus Gallo intelligentiam tribuit. Basilius cani erudito a natura notionem nexus argumentationum rationumque tribuit equalem ei, quam habet mathematicus. ¿Quid enim, ait isti cane plus faciunt? Lactantius Brutis providentiam, innarrabilem artem tribuit et ¿Quis negaret illis, ait, inesse rationem.

(Basil. hom. 9. her.) (Lact. 3. ins. c. 10.)

Monere tamen debeo discursum Brutorum materia et forma toto ab humano cęlo distare. Objecta sensibilia, particularia attingit. Suas super cognitiones non reflectitur. Non cognoscunt rationes communes, nec ex universali particulare sub illo contento deducunt, ut Vossius, ut Plutarcus, ut Feijous ajunt. Duo tantum argumentorum genera possunt efficere, nempe a simili, et a suficienti partium numeratione.

(Voss. de orig. idol. lib. 13. c. 41.) (Plut. de indust. animal.) (Feij. ubi supra.)

Articulus 6.

Belluinam animam materialem non esse stabilitur.

Quę duobus articulis superis scripsimus eo collimant, ut et confutationi et probationi lucem emittant. Cum ergo cognoscant, cum ratiocinentur Bruta, eorum animam materialem non esse constat. Quidquid enim materialis ista anima sit, vel proprietates habet materię, vel non. Si non habet, immaterialis est. Si habet: ergo cognoscere non potest, cum materiei cogitationes pugnare demonstratum sit. Id vel Thomas docet. Patet, infit, quod immaterialitas alicujus rei est ratio, quod sit cognoscitiva. Id Aristoteles docet, Plantę, ait, non cognoscunt propter suam materialitatem. Auctoritatibus eos versus, qui eas pro rationibus in Philosophicis audire volunt. Miror Scholasticos Aristotelis, Thomęque nominibus gloriari, et magistros laudare, qui neos assequantur.

(Thom. p. 1. q. 14. a. 1.) (Arist. 2 de anim. laudatus a Thom. ubi supra)

His Epicureismum redolent, ut observat Auctor de vindicata anima belluarum, si etenim materialis substantia cogitat, et hominis anima, materialis si esset, cogitare possit. Vicit Epicurus. Auct. lib. de vind. anim. bel. pag. 36.

Insuper; quid est substantia ista haec? Quidquid corpus non est, et aliquid est, jam recte spiritus dicitur Augustino attante. August. lib. 12 sup. genes. n. 16 alias cap. 32. ¿Cuinam pertinet anima materialis? Si spiritui, non vocibus ludant. Si corporibus, vocem materiae non reformident. Ast est inquiunt, medium inter utrumque. Belle. Ens istud eodem modo materiale est, ac est substantiale. Est autem substantiale ita, ut substantia sit. Materiale ergo ita ut sit materia. Enti isti aut extrinsece, aut intrinsece materia denominat. Si extrinsece, spiritus est, nil enim in substantia ponunt denominationes extrinsecae. Si intrinsece, ergo est materia. Cum denominationes intrinsecae aliquid sui generis in subjecto denominato apponant. Ast, inquiunt, cum Feijoo (aliquando enim bonus dormitat Homerus) esse materiale adjective, id est pendere a materia in esse, fieri, et conservari, non substantive, quia non est ipsa materia. Feij. ubi supra. His nostrum volunt argumentum quassare, melius dicam confundere. Ego autem regeram; quid est haec anima? Videant quod, dum quid est res interrogatur, rei essentiam deberi afferre, non praedicata extra essentialia. Si afferunt rem esse materialem, erit substantive, quia si dicunt esse adjective materialem, praedicatis extraessentialibus respondent. Erit ergo aliquid substantive, quia praedicata extrinseca rem constitutam supponunt. ¿Quid ergo est substantive haec anima materialis? Huccusque responsum desideratur. Volunt ergo re ignota rem ignotam explicare, vel implicare. Pudet his tempus impendere.

Articulus 7.

Pecorinas animas non esse machinas, vel materiam, comprobatur

Nil ferè novi afferendum est ut Carterium debellemus. Bruta cogitant. Ratiocinantur Bruta. Ea ergo materię legibus non subjacent. Machinę igitur non sunt.

Insuper pręcipuum Renati argumentum ex eo sumitur, quod Deo possibiles machinę sint, quę omnes Brutorum actiones moliantur. Hoc pręcipua ipsius Philosophię lapes. Minime probare possum, Huetius ajebat, quod caussas naturales investigans, in iis acquiescit, unde res oriri potuisse fingit; cum has solum admitere debuerit, unde res nessesario ortę sunt. Nam si vel aliam caussam habere potest hic effectus, vel alium effectum habere potest caussa isthęc, hunc ex illa arcessere, divinare est. Nunc autem non inquirimus quid Deus potuisset facere, sed quod fecit. Fatemur Deum posse plurima mirabilia facere, ea tamen, quę cum statutis ab eo legibus non repugnent. Utique supra eas, non contra eas operari. Scimus Brutis cognitionem inesse, scimus materię eam legibus repugnare. Juxta nostram ergo scientiam Deus non potest machinas facere, quę easdem, quas videmus in Brutis, operationes moliantur. Fortassis fortassis sunt modificationes materię, leges nobis impervię, quibus, cum notis modificatis, Deus machinas possit facere cognoscentes, vel actiones in Brutis visas edentes. At id nescimus. Ad summum ergo dicere Renatus debebat, nescio an Bruta sint automata, scio esse posse, non confidenter asseverare.

Huet. cens. Phil. Cart. cap. 8. parag. 3. num. 3.

Praeterea (verba sunt illustrissimi Huetii) mentem sensim ad impietatem inclinat machinalis haec Philosophia, quam propterea erudito opere acuté nuper et subtiliter oppugnavit Parkerus. Quamvis enim utilis sit ad explicandas rerum corporearum caussas, ac in multis quoque verisimilis, certis tamen finibus coercenda est. Quod cum facere nescivserint Cartesii pedissequi, eo tandem progressi sunt, ut res etiam materiae, et corporis expertes, velut peccatum, et gratiam Dei, ad machinales leges revocare auderent: quae manifesta est, et exitialis sincerae Religionis corruptela. Merito sané Porphirium castigavit Jamblicus ille, quem Proclus divinum, ducemque suum appellat, quod omnia Egyptiorum placita ad naturae leges exigeret; cum sublimiores sint caussae, et plura principia rerum, quam naturalia. Ad alia Gassendi, Epicuri, Galeni, Leibnitzii, sistemata aciem vertentes idem plura ac de cartesiano dicimus, cum eadem feré inter se sint.

Huet. ubi supra. parte 3. n. 4.

Jamb. de mist. Egypt. sect. 8. cap. 5.

Articulus 8.

Non esse confidenter asserendum Bruta animam incorpoream habere palam fit.

Nulla sententia est, qua actiones necessariae, spontaneae, mediae, cognitiones ac discursus praecipué Brutorum explicentur, praeter eam, quae anima donari incorporea tenet. Certé cum actus isti materiae repugnent, spiritibus apprimé conveniant, cum nullum sit inter utramque substantiam medium, secundi generis esse relinquitur. Variis sacris testimoniis probatum id est. Auctoritatibus omni seculo veneratorum hominum est confirmatum. Ast paria Cartesiani testimonia afferunt. Si enim



spiritus tellus anima scripturis dicitur, Genesi interficiam om-
Genes. 6. 17. nem carnem, in qua est spiritus vitę, Ecclesiaste spiritus Jumen-
Ecles. 3. 21. torum ascendat sursum, et sepe aliàs: Si Bernardo quatuor
Bern. serm. 5. in cant. spirituum genera nota sunt nobis, pecoris, noster, Angelicus, et
Greg. lib. 3. dialog. qui condidit istos, si Gregorio tres vitales spiritus creavit Deus:
spiritus, qui carne tegitur, et cum carne moritur, Jumentorum
Genes. 1. 24. omniumque Brutorum &c: Cartesiani afferunt ex Genesi produ-
cat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia.
Basil. hom. 8. hex. Ubi Basilius, ¿Cur animam viventem tellus educit? Ut quid
Perer. in genes. tom. 1. lib. 4 disp. de cr. anim. ratio. q. 2. n. 117. sit inter animam Jumenti, atque animam hominis discas. Et
Pererius Mosem tenet innuere voluisse, Belluarum animas
ex materia elementari esse productas. Afferunt Levitici
Leu. 17. u. 10. 11. anima omnis carnis in sanguine est. Ubi Augustinus non re-
August. q. 57. in Leu. n. 3. prehendit eos, qui putent animam pecoris esse sanguinem. Pro
utraque parte verisimiles interpretationes sumuntur in Bri-
xiensi et Altierio videndę.

Later. conc. 5. ss. 8. Lateranensi quinta sinodo Philosophię Magistris pręci-
pitur, ut circa animam doctrinas immortalitati defendendę
accomodatas doceant. Hac autem sententia id apprime non
efficitur. Si enim spiritus est Brutorum anima, si mortalis,
ut fatetur (corpore enim bellulino pereunte peribunt) vel hu-
mana spiritalis spiritus esse poterit mortalis. Scio regeri es-
se pares immortalitate ab intrinseco, ~~[illegible]~~ au-
Thom. lib. cont gent. 2. c. 79. tem non item. Constat enim humanam ab extrinseco esse immor-
talem, non ita animam pecorinam. ¿Ast unde id constat? ex illo,
Señ. lib. incred. sin. exc. c. 28. qui illas destruere potest, Deo nempe. ¿Ubi constat? Scripturis.
¿Quid vero faciemus iis, qui scripturas non audiunt? Sunt ra-
tiones inquiunt. Sunt fatear. Sumit eas Thomas, sumit Señerius:
Sed pręcipua ex spiritalitate desumpta corruit, et quę restant

robur, animabus Brutorum spiritibus, perdunt. Rationes, quę restant faciliori valent modo superari, quam alia deserta.

Insuper Brutorum sunt actiones humanis excelentiores. Aranea indocta, abs instrumentis, captu muscę, formica horrea implendo, triticum conservando, hirundo nidum construendo, suis necesitatibus subveniunt ita, ut suis homo edoctus, instrumentis utens, subvenit. Illa quin patres videant nidum, cętera efficiunt a se ipsis edocta: homo doctrina, experientia indiget. ¿Ubinam interrogo mirabiliores sunt operationes? Pullus octiduus pericula eo modo fugit, quo puer octiannus fugere nescit. Pullus patres vidit fluvium ingredientes; Ille non ingreditur periculum noscens. Puer nec flumina nec periculum noscit, gladium amplectitur, prunas tangit imprudens. Simia, Vulpes ea pericula, quę nec vidit homo longinquè, vident. Eo autem perfectior prudentia humana esset, quo futura remotiora prospiceret. Bruta ergo perfectiora sunt homine, cum illa videant. Si homo esset astutus ut Vulpis, ut Simia sagax, docilis ut Equus et canis, ut Apis industrius, perfectior prę cęteris crederetur. Si ergo ex actionibus, ut antea fassi sumus, res est terminanda, perfectius est Brutum homine. Perfectior ergo ejus anima. Hoc autem ¿quis dicat? Ergo neganda iis est, et mechanismus amplectendus, quo Deus omnia disposuit, quo eorum actiones tribuuntur.

Bruta demum eodem semper modo nidum efficiunt, caveas fodiunt, cętera moliuntur; Homo autem non item, semper varia edit. Id ergo quia discursu utitur, et experientia prudenti. Si autem dicas id esse quia plura Brutis cognitione attingit, id concedam, at asseram quoad animalem vitam, cui hęc, de quibus loquimur, pertinent, varia videre hominem et

Bruta, vel amplius ista, ut ex dictis antea patet. Ergo animæ Bruta spiritali donata non sunt. Ergo mechanismo, quo Deus, cùm recté sua commoda disposuisset, nil immutat, eorum sunt explicandæ actiones. Qui plura aveat, Almeidam adeat, a quo eleganter et pulchré, ut assolet, hæc aguntur.

Almeid. tom. 5. Recreat.

Articulus 9.

Quid anima belluina sit ignorari statuitur.

¿Quidnam? Jure igitur interrogare a vobis satactum erit. ¿Quidnam ergo est hæc anima, quam prosecuti hucusque sumus? Si considerans mecum ipse fatear, scio. Si interroganti respondendum sit, nescio. Non audeo sententiam, quam firmiorem judico, afferre. Angustiæ sunt undique. Ex dictis vos quænam argumenta solidiora sint, quænam objectiones debiliores, inferte. Fortassis vobis firmior, debilius impetita ultima visa erit. Mi ita videtur. Ast timeo. Rectius me nescire confiteor.

Quod si vobis timidus visus sim, quia inter tam varia seligere non fuerim ausus, planéque ignorari affirmaverim animalium originem, Aristotele, Lewenhoekio, Hippocrate, Needhamo, Harveo dessitis, plané nescire quidnam sit belluæ animam Epicuro, Pithagora, Aristotele, Galeno, Gassendo, Cartesio, Magalloto despectis, inter tot amœna vireta (melius dixerim et dumetas) nullas flores legisse, non mi id, sed spinis, aculeisque, quibus pungunt, quibus armatæ sunt, quibus circunscutantur, non mi id, sed fatali nostræ imbecilitati, et ignorantiæ tribuite. Notatote omnes Deum animalia homini subjecta posuisse, illumque

eorum dominari, at ignorantem esse dominum; usu locupletatum, cognitione servorum penitus destitutum. Tu ¡homo! dominaberis illorum, dixit Dominus: at ut superbia tua corrueret, ut creatoris memor esses, tuæque infirmitatis, in iis ipsis servis, quibus superbire posses, ignorantia punixis. In ea Deum te non esse, prout avidus desideravisti, cognosce. Te insipientem, vilem hominem nosce.

Si vobis longa oratione fastidio affeci, non mi, sed rebus agendis culpam tribuite. Iam varia sunt et tam obscura, quæ de iis sunt dicta, ut si examinanda omnia fuissent, non dicam unius horæ parvum spatium, sed diem, sed mensem, sed annuum, sed totam hominis vitam requirunt, sed plurium generationum vitam, Galenus ut aiebat in aphorismis. Quare fontes indigitasse fuit satis. Galen. in l. aphor. Hipp.

Ohe jam satis est,..... cum Martiali dicam, vestra intuens in audiendo molestiam, meum in scribendo fastidium, et directoris nostris laboribus, (stellam siquidem in his pusionem me habuisse libenter confitear, quæ in tenebris illuminavit, pastorem me simplicem ovim, qui cisternas fodit, rivulos currere fecit, ubi aquam haurirem) rem, quæ vel a principio acta erat, cum vel ab ipsa ignorantiam fassus sim, Martial. lib. 4. epigram. 89.

Ohe Jam satis est, ohe libelle:

Iam pervenimus usque ad umbilicos.

Tu procedere adhuc, et ire quæris;

Nec summa potest in scheda teneri.

Sic tamquam tibi res peracta non sit,

Quę prima quoque pagina peracta est.

Iam lector queritur, deficitque:

Iam Librarius hoc et ipse dicit:

Ohe, jam satis est, ohe libelle.







